Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

stabit: et omnis voluntas mea fiet. Vocans ab oriente avem: et de terra longinqua virum voluntatis meae. Et locutus sum et adducam illud: creavi et faciam illud. Audite me duro corde qui longe estis a iustitia. Prope feci iustitiam meam. non elongabitur: et salus mea non morabitur. Dabo in syon salutem: et in israel gloriam meam. Cap. xlvii.

Descende sede in pulvere virgo filia babylon. Sede in terra. Non est solium filiae chaldeorum: quia non vocaberis mollis et tenera. Tolle molam et mole farinam. Denuda turpitudinem tuam: et discoopri humerum. Revela crura. transi flumina. Revelabitur ignominia tua: et videbitur obprobrium tuum. Ultionem capiam: et non resistet michi homo. Redemptor noster dominus exercituum nomen illius sanctus israel. Sede et tace. et intra in tenebras filia chaldeorum: quia non vocaberis ultra domina regnorum. Iratus sum super populum meum: contaminavi hereditatem meam: et dedi eos in manu tua. Non posuisti eis misericordias: super senem aggravasti iugum tuum valde. et dixisti. In sempiternum ero domina. Non posuisti haec super cor tuum: neque recordata es novissimi tui. Et nunc audi haec delicata et habitans confidenter: quae dicis in corde tuo: ego sum. et non est praeter me amplius. Non sedebo vidua: et ignorabo sterilitatem. Venient tibi haec duo subito in die una. sterilitas et viduitas. Universa venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum: et propter duritiam incantatorum tuorum vehementem: et fiduciam habuisti in malitia tua: et dixisti. Non est qui videat me. Sapientia tua et scientia tua haec decepit te. Et dixisti in corde tuo. Ego sum. et praeter me non est altera. Veniet super te malum. et nescies ortum eius: et irruet super te calamitas quam non poteris expiare. Veniet super te repente miseria quam nescies. Sta cum incantatoribus tuis. et cum multitudine maleficiorum tuorum in quibus laborasti ab adolescentia tua: si forte quid prosint tibi. aut si forte possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. Stent. et salvent te augures caeli: qui contemplantur sydera et supputant menses ut ex eis nuntiarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula: ignis combussit eos. Non liberabunt animam suam de manu flammae. Non sunt prunae quibus calefiant: nec focus ut sedeant ad eum. Sic facta sunt tibi in quibuscumque laboraveras. Negotiatores tui ab adolescentia tua. unusquisque in via sua erraverunt: non est qui salvet te. Cap. xlviii.

Audite haec domus iacob. qui vocamini nomine israel. et de aquis iuda existis: qui iuratis in nomine domini et dei israel recordamini non in veritate neque in iustitia. De civitate enim sancta vocati sunt. et super deum israel constabiliti sunt. Dominus exercituum nomen eius. Priora ex tunc annuntiavi: et ex ore meo exierunt. et auditam feci ea. Repente operatus sum et venerunt. Sciebam enim quia durus es tu: et nervus ferreus cervix tua: et frons tua aerea. Praedixi tibi ex tunc antequam venirent indicavi tibi: ne forte